

D. Gerhanli Titij Dogmatica.

DISPUTATIO THEOLOGICA

*De*PECCATORUM
CVLPA ET REATV*Quam*

D. O. M. A.

P R Æ S I D E

V I R O

Admodum Reverendo, Amplissimo & Excellen-
tissimo

DN. GERHARDO TITIO,

S. S. TH. D. ET P. P.

Publicè tuebitur

Ad Diem 20. Junii,

FRIDERICUS HARDING,

Hildesheimensis

AUTOR.

HELMÆSTADII,

TYPIS JACOBI MÜLLERI,

Anno MDCCC LXIII.

in monea
o attinet,
a mundo
e, Præfat.
agas, si do-
loc enim ne-
quid sibi ve-
on legitur,
vini manus
signi-
Dei provi-
missivam,
Cornelius.
circà pec-
empe re-
is poena-
oris mali.
ens cum
in operi-



VIRIS
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS
PRVDENTISSIMIS, QVE

DN. CONSVLIBVS, SYN-
DICIS, EQVITVM MA-
GISTRIS, SENATORIBUS ET
OCTODECIM VIRIS

Dominis

*Patronis, Mæcenatibus & Promotoribus suis æternùm
venerandis*

Hoc Theologicum Specimen
eâ, qua par est sub
missione

Offert & Consecrat

FRIDERICUS HARDING,
Autor.





De

PECCATORVM CVLPA ET REATU.



Homo omnes suas agendi facultates & vires, sive illæ sint ipsi quæ est agens rationale & liberum propriæ, sive cum aliis naturali necessitate agentibus communes, quolibet item ex his facultatibus promanentes habitus & actus DEO creatori suo, summo isti rerum omnium architecto debet. DEUS enim horum omnium non tantum est causa procreans, quæ his omnibus esse dedit, cum antea non essent, sed & eorundem causa conservans, hoc est, esse illis continuatum, durationem & existentiam largiens, juxtà illud Hebr. Cap. I. 3. moderatur omnia verbo potentia suæ. Et Col. I. 17. Omnia per ipsum consistunt.

II. Quin non tantum DEUS O. M. concessit homini vires & facultates agendi naturæ ejus debitas, sed & quasdam naturæ in se spectatæ indebitas, sine quibus essentia hominis ejusque proprietates ex essentia promanantes, sibi constare potuissent. Addidit nimirum in primâ statim ejus creatione in intellectu singulare lumen cognitionis, in voluntate & appetitu sapientiam & justitiam, in corpore immortalitatem. Quæ cum primus homo, caput omnium posterorum, per

A 2

volun-



voluntariam à DEO apostasiam, pro se & posteris amiserit. DEUS tamen O. M. pro suâ ineffabili boni âte adhuc hodiè per verbum suum, quod est *ministerium spiritus sancti* II. Cor. III. 8. in eo restaurat, etsi ad gradum illum ipsum, quo olim concreaverat, ei non amplius placeat perducere. Ut meri ò cum Apostolo liceat acclamare homini; *quid habes quod non acceperis? quod si etiam acceperis, quid gloriaris ut qui non acceperis?* I. Cor. IV. 7.

III. Donat scilicet *DEUS Domini nostri Jesu Christi, pater ille gloria*, adhuc hodiè *spiritum sapientia & reuelationis per agnitionem ipsius, illuminatis oculis mentis nostræ, ut sciamus quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quæ opes gloria hereditatis ipsius in sanctis* Ephes. I. 17. 18. *Renovat nos spiritu mentis nostræ, & facit nos induere novum illum hominem, qui secundum DEUM conditus est ad justitiam & sanctimoniam veram* Ephes. IV. 23. 24. *Efficit in nobis, ut velimus & efficiamus quæ ipsi placent, & à nobis, ut salvi fiamus, requirit, pro gratuitâ suâ benevolentia* Philipp. II. 13. *Incipit & perficit in nobis bonum opus, usq; ad diem Jesu Christi*: Ibid. Cap. I. 6. *quin absolutos in fide, spe, caritate & patientia nos reddit, stabilit, roborat, fundat* I. Petr. V. 10. *ditat in omni sermone omniq; cognitione, ut nullo dono destituamur expectantes, dum reveletur Dominus noster Jesus Christus* I. Cor. I. 5. 7. E quibus & similibus locis, *S. Augustinus* distinctiones suas gratiæ, in prævenientem, subsequenter, operantem, cooperantem, exstruxit. Etsi aliquando loca scripturæ non satis commodè pro iis citaverit, sicuti facit, quando distinctionem gratiæ in prævenientem & subsequenter conatur probare è verbis Psalmi LIX. II. *miserericordia ejus præveniet me*, sicut ipse, Gratos secutus, citat, cum juxta Hebræum sit, *DEUS misericordiae meae præveniet me*, & è Psal. XXIII. 6. *miserericordia ejus subsequetur me*. Vide ipsum T. 3. cap. 32. Enchirid. ad Laurent. Hoc interim certum

rum manet, hominem à DEO corpus & animam, cum omnibus facultatibus & viribus, tam naturalibus, quàm ex merâ indebita gratiâ & olim & hodiè naturalibus istis superaddi is, & ad finem ejus ultimum qui est æterna corporis & animæ beatitudo, necessariis, accepisse, ejusq; uni ac soli immensæ bonitati debere.

IV. Qui ergò hominem talem primum condidit, & postea etiam ita, ut vidimus restaurat, quin jus in eum habeat, eum ad certas leges, & ad certam normam in actionibus suis adstringendi, dubitari à nemine porrò poterit. Et ad hoc jus suum subinde provocat sanctum Numen. Sic est Malach. I. 6. Filius honorat Patrem, & servus Dominum. Si Pater ego sum, ubi est honor mei? Si Dominus sum, ubi est timor mei? Ita propter varia, eaque peculiaria ac ingentia beneficia Davidi præstita, quando ille his non attentis, adulterio & homicidio commisso, jus divinum graviter violaverat, DEUS ipsum per Prophetam ita sivit objurgari: *Ego unxi te ut esses Rex super Israelem, & si parum, adjecturus eram tibi talia & talia, quare contempsisti verbum Jehovæ, faciendo quod malum est in oculis ejus?* II. Sam. XII. 7. 8.

V. Norma verò illa ad quam homo se conformet, agendo quæ se deceant, & omittendo quæ se non deceant, est ipsum ei congenitum rationis lumen, sive naturalis intelligendi vis seu facultas, quam rationis dictamen aliàs vocamus. Quemadmodum enim sensus communis, solâ suâ virtute critica, idoneus est distinguere inter colorem & odorem, ita intellectus noster, inter objecta turpia & honesta naturali sua vi idoneus est distinguere. Quod ipsum tamen non sic intelligendum est, ac si species honestorum & turpium menti ab ipso ortu statim sint impressæ, ut multi putant. Hoc enim nec ratio, nec experientia, nec revelatio solidè confirmat. Sed progressu temporis, à sensibus externis me-

diante phantasiâ species mens illa nostra recipit, & terminos apprehendit, quos componere continuo valet vel dividere, & sic judicare, hoc esse faciendum, illud omittendum v. c. parentes honorandos, neminem lædendum. Principia verò sic cognita, suâ evidentia determinant mentem ad conclusiones ex iis inferendas. Et hoc modo notitia rerum honestarum & turpium homini est naturalis, quod à naturali interno principio mediisque naturalibus fluat. *Non pugnant enim, ut forsitan quis putaverit, naturale esse voce proprie acceptâ, & acquisitum esse, sicut disidere videmus, naturale sive à natura esse, & ex speciali revelatione vel illuminatione pendere. Quod enim ex speciali revelatione innotuit, nec aliter innotuit, id non est naturaliter cognitum, sicut quæ notitia ex speciali Spiritus sancti illuminatione pendet, ea non est ex naturali lumine nostri intellectus; quod verò sagacitate & industria humana, vi naturalis intellectus cognitum est, illud naturaliter cognitum esse, proprie & verè dicitur, scribit rectè celeberrimus Philosophus & doctrinæ Aristotelicæ strenuus vindex, Johannes Zeisoldus, Dissertatione doctissima de Notitiis Naturalibus §. 78. Et ita norma agendorum quam DEus homini posuit, ei per naturalem rationem innotescit. Ubi non est ut quis neget, naturalem esse homini discretionem honestorum & turpium, quia in multorum mentibus ea non videatur comparere, quod externis suis actionibus omni honestati plane contrariis, satis illi testentur, sicut illud ex historiis ostendit summus noster Calixtus Epit. Theol. Moral. de Legibus. Nam fuerunt, qui ipsum Principium contradictionis, *impossibile est, idem simul esse & non esse*, negaverint, è quibus Aristoteles Heraclitum quendam nominat libr. III. Metaphysic. Cap. III. Ergone dicemus, nec id principium naturaliter notum esse? cū sit omnium principiorum certissimum, omniumq; maximè firmum & immotum, ut Aristot. ibi ait. *Diversi illi conceptus, diver-**

diversa sententia, sunt ex diversa subjectorum conditione. Non eadem omnium natura, non eadem informatio. Quibusdam natura dedit excellentia ingenii, judicijq; dona, alios iisdem destituit; quidam probe recteq; informantur, quidam secus; quidam habent animos praecipuos, quidam non, scribit hic iterum eruditè, laudatus Dn. Zeisoldus eadem Dissertat. §.209. pag.259. Atque hæc ita sese habent.

VI. DEUS tamen non contentus, legem, naturali ista hac ratione cordibus hominum inscripsisse, denuò peculiari promulgatione eam patefecit, & mortalibus ob oculos posuit Exod. XX. idque admodum oportunè, nempe cum jam Patriarchæ, qui hæctenus admirabili longævitate, & divinâ familiaritate illustres, maximam hominum partem auctoritate suâ gubernaverant, in terris agere desiissent, lumen naturæ apud multos pravâ vivendi consuetudine obscurari cæpisset, atque ipse è cæteris populis, unum ex omnibus, certa ratione sibi peculiarem delegisset. Benè hanc in rem Autor Quæstionum Veteris & Novi Testamenti, quarto Augustini Operum Tomo insertarum, Quæst.4. *Vbi lex naturalis evanuit, impressâ consuetudine delinquendi, tunc oportuit legem manifestari, ut in Judæis omnes audirent. Non quod penitus oblitterata esset, sed quia maximâ ejus auctoritate carebant, idololatria studebatur, timor Dei in terris non erat, & fornicatio operabatur, circa rem proximi avida erat concupiscentia. Danda ergò erat lex, ut & quæ sciebantur auctoritatem haberent, & quæ latere cæperant manifestarentur.*

VII. Sicut autem lex divina de qua hæctenus dictum, tanquam unum per aggregationem, pluribus quasi partibus constat, ita non unius illæ sunt etiam indolis. Quædam ejus quorundam actuum exercitium, quædam speciem actus, vel præcipiunt vel vetant, quin & pro vario objectorum & finium respectu variè possunt dividi. Quocunque verò modo
homo

homo exorbitet, & à lege deflectat, peccasse ille dicitur. Omnis enim actio aut omissio, sive interna sive externa, sive voluntaria sive involuntaria, legi difformis, peccatum est censenda. *Peccatum est illegalitas*, inquit Divus Johannes I. Epist. Cap. III. 4. *Quæ definitio generalissima est, & convenit in peccata omnia, non solum morum, sed etiam naturæ & artis* ait Bellarminus libr. I. de amiss. grat. & statu peccati cap. I. At peccatum in moribus de quo solo nos agimus, definit S. Augustinus libr. 22. contra Faustum Cap. XXVII. *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam*. Quam definitionem Theologi magno applausu, nec immeritò receperunt. Ergo peccatum formaliter est diversitas sive discrepantia à lege. Formaliter inquam, nam materiale quandoque est vel potentia, vel habitus, vel actus. Et hoc materiale, esse aliquid positivum, dubium nullum habet.

Culpa. VIII. Cum peccato necessariò conjuncta est culpa, quæ & realiter cum ipso est eadem. *Est enim culpa, relatio quadam, formaliter ex actu peccati, in ordine ad regulam rectitudinis moralis, vel legem considerato, resultans*. In quantum enim peccati actum concipimus tanquam aliquid disconveniens regula aut legi, in tantum sub ratione peccati & culpa eum concipimus, ut loquitur Excell. Musæus Disput. III. de Conversionis transitivæ termino à quo. Si verò culpa est relatio ex actu peccaminoso resultans, tunc sanè licet quidem ipsam ut diversam ab actu illegali concipere, reale autem discrimen admittere non licet. Nulla enim relatio à suo fundamento & termino simul sumptis, differt realiter, ut probat Aristotel. lib. 5. Physic. t. 10. ubi Julius Pacius vertit. *Non est motus ei quod ad aliquid*. Contingit enim altero mutationem patiente, vere dici, alterum nihil mutationis subire. Quod Javellus Aristotelem secutus ita exposuit: *Relatio*

Relatio & fundamentum sunt idem realiter, quia relatio advenit de novo alicui subjecto sine mutatione subjecti, quod ipsum exemplis demonstratum, vide apud ipsum lib. 5. metaph. qv. 22. Confer Suar. disp. 47. s. 2.

§. IX. Peccati insuper immediatum & necessarium consequens est Reatus. Reatus autem vox dupliciter vulgò solet capi. 1. pro obligatione, qua quis sub peccato vel propter commissum peccati actum, vel propter omissum non omittendum actum, constrictus tenetur, & peccati dicitur reus, sicut Germani dicunt Du bist daran schuldig/ quemadmodum qui rem alienam attrectavit invito Domino, furti, qui rem habuit cum conjuge alienâ, adulterii dicitur esse reus. 2. Reatus accipitur pro dignitate pœnæ, pro debito subeundi iudicium & pœnam, quo modo quis reus, id est, dignus pœna, aut ad subeundam pœnam obligatus esse dicitur. Jam porrò, si Reatum interpretaris secundum priorem significatum, nihil prorsus à culpa videtur differre. Culpa enim subjectum suum denominat culpabile, reatus reum; idem autem est, esse reum, & esse culpabile. Quandoque enim denominatio formaliter est eadem, eadem quoque est formaliter forma denominans, licet diversis exprimatur vocibus. Quod si vero posteriorem reatus acceptionem attendas, est ille necessarium & proprium peccati & culpæ consequens, cui tamen non minimum repugnare videtur, quod à nonnullis non infimæ notæ scriptoribus reatus pro formali peccati venditur. Verum enim vero sciendum est, quod quando scriptores reatum formale peccati appellant, non intelligant formale constituens, sive peccato quidditatem largiens, sed formale consequens, necessarium quoque ex patrati peccati actu emanans. Quod autem

B

ur. O.
na, sive
catum est
hannes I.
onvenit in
artis ait
ap. I. At
nit S. Au-
um, velfa-
defini io-
ceperunt.
epantia à
doque est
le, esse a-

culpa,
a, relatio
lam recti-
quantum
conveniens
cum conci-
Conversio-
latio ex a-
ipsam ut
em disci-
a suo fun-
er, ut pro-
acius ver-
ngit enim
hil muta-
exposui:
Relatio

autem formale peccati in Reatu non consistat, si non
alia suaderet ratio, hæc tamen satis prægnans esset:
quod scilicet peccatum per essentiam suam est illegale
quid, seu, legi & regulæ adversum; Reatus verò sive ob-
ligatio ad pœnam, legi maximè congruum & DEO. A
quo enim dependet lex, ab eo etiam necessitas subeun-
di pœnam, sive Reatus transgressionem legis conse-
quens dependet. Cœterùm quod Reatus sit necessa-
rium & proprium peccati consequens, ostendere est in
proclivi: Nam 1. concipitur aliquis prius deflexisse à
rectitudinis regula, fecisse, quod lex prohibet, & omi-
sisse, quod jubet, quam concipiatur esse sub reatu &
obligatione ad pœnam. 2. Peccatum est ratio à
priori, cur Reatus insit & per quam Reatum inesse de-
monstratur. Ideo enim homini incumbit necessitas
luendi pœnam, & subjiçendi se iudicio, quia exercuit
actus lege prohibitos, uti facile patebit emphatica sacræ
scripturæ dicta ponderanti. Quem in finem sequentia
propono probè excutienda. Gen. III. v. 14. & 17. ubi em-
phasis latet in כִּי illo causali כִּי עָשִׂיתָ זָאת & כִּי שָׁמַעַתָּ
לְקוֹל Rom. 5. v. 18. *Per unam offensam (reatus) venit in
omnes. Roman. 6. Opsonia peccati mors*, ubi non pos-
sum, quin aliquanto prolixior sim in voce Opsonia.
Notant enim cibum omnem qui præter panem appo-
nitur, delicias scilicet, condimenta & imprimis pisces,
nam Joh. XXI. v. 9. vertitur pisciculus. Per translatio-
nem vero Opsonium dicitur stipendium, quia olim mi-
li ibus stipendii loco non solvebatur aurum vel argen-
tum sed carnes, pisces vel legumina, hinc est quod Vul-
gatus, Beza & Tremellius opsonia reddiderint per sti-
pendia. Quod emphasin vocis, quam S. S. hoc loco
intendit, attinet, malo eam verbis B. Meisneri, quæ
habet:

habet in consideratione Theologiae Photin. quam me-
is exprimere: Duo, inquit, in hac voce notanda sunt, 1.
numerus pluralis, mors dicitur peccati non opsonion in sin-
gul. sed opsonia in plur. ad innuendum, quod uno mortis
vocabulo contineantur multa pœna, variæq; mortis species.
2. Ratio metaphora, Mors enim, quæ pœna peccato debita,
vocatur opsonium termino tum culinari tum militari. Si
opsonion vertas edulium, tum peccatum comparatur coquo,
mors edulio, quid coquit peccatum? quid gignit? me-
ram mortem, ut cum Elisei discipulis exclamandum, mors
in hac olla; sin stipendium vertas, tum peccator comparatur
militi, peccatum militis labori, mors salario, & sic pleriq;
accipiunt interpretes, qui hoc cum primis innui putant,
quod sicuti miles magno labore acquirit stipendium suum,
quod illi jure debetur, ita peccatores suis peccatis iisq; sapi-
us satis laboriosis mortem merentur temporalem & ater-
nam, tanquam aliquod salarium peccato jure debitum. Beza
in notis versiculum hunc reddit: Mors est pœna pec-
cato debita. Ex quibus omnibus satis liquet, Reatum
esse peccati necessarium & immediatum consequens.
Nam sane ut de posteriori Pauli loco adhuc aliquid ad-
dam, sicuti stipendia miliibus non penduntur, nisi,
quod præstare tenentur, præstiterint, quin ne quidem
ipsis debentur, quando quod præstitum pro non præ-
stito & irritò habetur; Et sicuti stipendia propter la-
bores in militia exantlatos unice miliibus solvuntur,
sic quoque Reatus necessario peccatum sequitur, &
non sequitur, nisi post patratum peccatum, quin irri-
to peccati actu habito, necessario cessat & esse de-
sinit.

§. X. Cœterum, post præteritum peccati actum,
culpam & reatum remanere, notius est quam ut proli-

xâ indigeat demonstratione, quod ipsum tamen alicui mirum videri posset, quippe cum ante asseruerimus : Culpam cum peccato realiter esse idem , & nisi ipso utpote fundamento, Reatum itidem esse proprium & necessarium peccati consequens ; Certum autem est, relationem simul cum suo fundamento everti, & propria sequi sua subjecta i.e. positis ipsis, poni , sublatis eisdem, propter reciprocam, quâ gaudent, consequentiam tolli. Verum respondemus, nos minimè diffiteri, quod Culpa & Reatu manentibus, non possit non manere peccatum, & quod abolito peccato , eodem momento Culpa quoque & Reatus aboleantur. Quod ut pateat, perpende, Peccatum duplicem subire respectum , consideratur enim vel physicè vel moraliter. Physicè quidem, in quantum quandoque est actus aliquis positivus, efficienter ab homine dependens; Moraliter vero , in quantum est formaliter privativum quid, & in quantum est actus legi adversus , obligationem ad pœnam inducens, faciensque, ut peccator post dudum præteritum peccati actum physicum, sub peccati tamen statu adhuc constrictus teneatur. Est enim peccatum ex genere morum , civilium contractuum induens naturam, qui semel initi , contrahentes sub contractus statu detinent, etiam postquam actus contrahendi jam dudum cessavit. Quod si jam priori modo peccatum spectes, Actuale quidem præterit & cessat, Culpâ & Reatu manentibus , quod ipsum tamen cum ante dictis minimè pugnat. Neque enim culpa nascitur ex actu peccaminoso quatenus Physicam habet existentiam, & in quantum est actus, neque Reatus peccatum sequitur physicè consideratum, adeoq; culpa non habet se ad actum peccati quâ talem, ut relatio
ad

ad suum fundamentum, neque Reatus ad eundem, ut
necessarium & inseparabile consequens; sin autem in
posteriori significato accipias peccatum, certè non
tollitur illud, nisi simul etiam tollantur Culpa & præ-
primis Reatus, quin non vereor asserere, quod pecca-
tum tollitur formaliter, quia Reatus tollitur. Neq;
enim peccatum tollitur per retractationem, non rati-
habitionem. sive displicentiam illam, ut vocant, id est
per actum iudicii practici, per quem homo mallet, se
non fecisse, quod fecit, & per quem intelligit, pecca-
tum non esse iterandum. Quod si vero per retracta-
tionem peccatum non destruitur, & moraliter esse de-
finit, utique destruitur per satisfactionem pro pœnâ
peccato debitâ. Neque enim est actus hominis alius
formaliter, peccatum perimens, præter hosce duos. Jam
vero per præstitam pro pœna satisfactionem tollitur
debitum & necessitas subeundi iudicium & pœnam i.e.
Reatus. Ergo etiam per idipsum, per quod tollitur
reatus, formaliter tollitur peccatum moraliter consi-
deratum; Quod verò peccatum per retractationem
non aboleatur, manifesto docent exempla desperanti-
um, de quibus extra controversiam est, quod malint
se non peccasse quam peccasse. Desperantium verò
peccata moraliter esse sublata, nullatenus poterit pro-
bari. Idem etiam constat ex eo, quod peccatum esse
actum ex genere moralium diximus, ad modum con-
tractuum civilium sese habentem; peccatum enim jus
cujusdam tertii involvit. Offendit enim DEUM, sub-
trahit id, quod de jure ipsi debebatur. Jam autem con-
tractuum hæc est natura, ut per solam alterius contra-
hæntis retractationem non fiant irriti. Licet enim
alterum contrahentium facti sui pœniteat, adeoque se

non contraxisse malit , non tamen propterea contractus definit esse contractus, sed necessum est, ut & alter contrahentium de suo jure cedat, sibiq; esse satisfactum testetur. Eadem ratio est cum peccato, quod, quia DEUM offensum respicit, non destruitur quoad esse suum morale, nisi DEUS satisfactionem aliquam acceptet, & consequenter pro non facto & irritato habeat. Jam porrò, per satisfactionem directè & formaliter tollitur debitum subeundi pœnam sive Reatus, ergò per idem, per quod tollitur Reatus, tollitur etiam peccatū moraliter acceptum. Quod ipsum etiam agnovit Franc. Suar. libr. 7. de sanct. hom. c. 23. n. 14. *Fieri, inquit, potest, ut peccatum jam commissum non solum sit præteritum, sed etiam retractatum, & nihilominus homo maneat peccator, & sit in peccato.*

§. XI. Quod hætenus de peccato disputavimus idem quoque de culpâ peccati procedit. Scilicet, licet homo per retractationem feratur in culpam, non tamen per illam culpam abolet, sed per satisfactionem pro pœna culpæ debitâ præstitam. Culpa enim non nisi respectus est, qui nascitur, quando peccatum expenditur ad legem, & concipitur ut discrepans ab eâ, jam verò Peccatum est formaliter actus discrepans à lege, ergò necesse est eum præcisè actum, qui formale peccati abolet, abolere etiam culpam i.e. respectum ex peccato ad legem relato promanantem.

§. XII. Quod autem diximus, Reatum tolli per præstitam pro pœna satisfactionem, nemo est, qui neget; satisfit verò pro pœna in judicio divino per meritum Christi fide apprehensum. Ubi notandum imprimis est, quod fides dupliciter possit accipi, i. uti est, actus vel habitus. Est enim aliquid physicum in infu-
sum

sa quoque fide. 2. Relativè, Objectivè, sive, quatenus apprehendit meritum Christi, & hoc posteriori modo in justificationis negotio semper accipitur, ut colligitur ex diversis sacrae scripturae locis, Fidem cum Christo ejusque sanguine & merito conjungentibus, vide Rom. III. 25. IV. 24. 25. V. 1. 9. Gal. II. 20. Act. 10. 43. Joh. III. 6. aliisque innumeris. II. Notetur, satisfactionem tribui & merito Christi, & fidei, illi quidem, ut causae principali & meritoriae, huic vero, ut instrumentali. Licet vero instrumentali causae adscribatur idem effectus qui principali, siquidem & ipse eundem immediatè attingit, ut prolixè demonstrat Suar. Tomo I. disp. Met. 17. s. 2. n. 11. opeatur tamen in virtute agentis principalis, ut idem docet E. c. n. 19. Jam quando dictum est, quod fides satisfaciat pro Reatu, spectanda est fides objectivè, & quatenus apprehendit meritum CHRISTI, & instrumentaliter, sive quatenus elevatur virtute meriti CHRISTI, & tantum de eo, quomodo Culpa & Reatus tollantur.

§. XIII. Cæterum hic demum se nobis offert nobilissimum aliquod Pontificii purgatorii fulcrum, quo si destitueretur, nescio an vel verisimilis ulla restaret ratio, quæ Purgatorii persuadeat ignem, qui tot pro defunctis Missas, qui tot Indulgentias, tamq; crebram suffragiorum, operumque supererogationis, quæ vocant, peperit mercaturam, fatente Episcopo Rossensi, uti id annotatum est Polydor. Virgil. lib. 8. de rer. invent. c. 1. Scilicet licet multi, qui Papatui dixerunt juramentum, satis multa sacrae scripturae producant dicta, quæ inter in acie fere collocant, illa ex Matth. XII. v. 32. Luc. XXIII. 43. I. Cor. III. 15. itemque multa alia ex Vet. Test. tantum tamen abest, ut, quod hisce talibus
tam

tam anxie laborant evincere, evincant, ut Bellarminus purpuratus illæ pontificiæ cathedræ Advocatus plerisque V.T. locis vel ipse probabilitatem detrahat, aut interpretando quandoque ejusdem farinæ homines habeat adversos; Quin Petrus à Soto candidè fateatur, ex totâ scripturâ Purgatorium apertè probari non posse.

§. XIV. Ratione propterea moliuntur, id, cui Scriptura apertum consensum negat, obtinere, quæ tamen ipsa Scripturæ testimoniis superstructa esse vulgò audit. Est autem hæc: quod sublatâ culpâ, remaneat pœna, quæ vel per satisfactiones, Eleemosynas scilicet, jejunia, aliaque quæ vocant opera pœnalia, in hac vitâ sit delenda, vel in alterâ, in Purgatorii scilicet loco, luenda, ubi non nisi flammis, non mitius atque infernales sunt, æternitate tantùm dempta, ultricibus, exuri possint & expiari, ex quibus etiam miser homo non eripiatur, donec vel ipse sustinuerit pœnas peccatis æquales, vel donec superstites cognati & amici curaverint facienda tot missarum sacra, quot pœnis, in horrendis purgatorii faucibus irrogandis, in compensationem possit sufficere. Hinc est, quod Philippus III. Hispaniæ rex tam multus fuerit in procurandis Missis, quippe qui pro conjugē suâ Margarietâ Austriacâ, ipso exequiarum die, Madriti Missas jussit fieri mille septingentas, quin veritus ut numerus hic pœnarum multitudinem exæquaret, adjecit piacularibus, testamento decretis sacrificiis, alia viginti mille. Eodem quoque pertinet intensissimus Claræ Eugeniæ in Albertum Archiducem, conjugem suum amor, pro celeriore ejus liberatione 40000. sacrorum celebrari imperantis.

§. XV. Vi-

§. XV. Videamus igitur quam in cassum labo-
raverit Rex Philippus, & quomodo spe suâ, forte
piâ, frustrata fuerit Elisabetha nullis licet parcentes
sumptibus. Videbimus illud, si excusserimus illud de
Culpæ à Reatu separabilitate decantatissimum Pontifi-
ciorum deliriū, quod conciliabulum Tridentinum Sess.
XIV. can. 12. ita proponit: *Si quis dixerit, totam pœnam si-
mul cum culpâ remitti semper à DEO, anathema sit; &
iterum c. 8. de satisfact. necessit. & fructu: Quod ad sa-
tisfactionem attinet, sancta Synodus declarat, falsum o-
mnino esse & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nun-
quam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Ne
autem injuriam videamur facturi Pontificiis, indagabi-
mus mentem eorum non nihil accuratius. Itaque per
Baptismum quidem, asserunt remitti baptizatis cul-
pam, pœnamque tam æternam quam temporalem. Ast
si sacra Baptismatis aqua lotum, contingat relabi in
peccata mortalia, tum quidem remitti culpam pœnam-
que æternam; pœnam autem temporalem vel morta-
libus delictis, vel peccatis illis sive venialibus debitam
remanere, vel passionibus ipsarum animarum vel in-
dulgentiis &c. expiandam. Costerus Enchirid. de Pur-
gatorio proposit. 1. Præ aliis placet audire Martinum
Becanum, de mansione temporalis, post dimissam cul-
pam pœnæ, ita differentem Comp. Man. lib. I. c. II. DEUS
*remittit aliquando peccatum mortale, & reatum pœnæ
æternæ, ita tamen, ut velit hominem, cui remissio facta
est, punire aliqua pœna temporali, non solum in cautelam
sed etiam in vindictam peccati præteriti, ut justitiæ a-
liquo modo satisfiat.* Aliqui eo usque progrediuntur,
ut non erubescant fingere pœnam etiam æternam com-
mutari in temporalem ex divinâ misericordiâ, & homi-*

C

nis



*nis pœnitentiâ , dimissa culpa per gratiam gratum fa-
cientem.*

§. XV. Huc igitur res tota recidit , juxta quos-
dam : Remitti quidem à DEO culpam æternosque in-
ferni cruciatus, pœnam tamen temporalem ejusq; rea-
tum remanere ; juxta quosdam verò, tolli tantum cul-
pam, pœnamq; tam temporalem quàm æternam re-
manere, & istam quidem virtute clavium & potestate
ligandi & solvendi judiciariâ, commutari in tempora-
lem. Duo igitur fortè expugnanda nobis essent ; U-
num : Remissâ culpa remanere reatum pœnæ tempo-
ralis propriè & strictè sic dictæ, justitiæ scilicet satisfaci-
entis, & injuriæ vindicativæ. Alterum ; non tantùm
post dimissam culpam luendam restare pœnam tempo-
rariam, sed & æternam, in temporalem tamen conver-
tendam. Ne autem semel admissos limites præsens
disputatio transgrediatur , de priore tantùm hâc vice
placet agere.

§. XVI. Quam arundineo autem ista assertio in-
nitatur scipioni, modo patebit, si saltem I. ex ante dictis
reperatur, peccatum formaliter consistere in discrepan-
tiâ à rectitudine legis; culpam item, esse relativum quid,
ex actu peccaminoso tanquam fundamento suo resul-
tans, adeoque à peccato non nisi per rationem distin-
ctum , & Reatum esse necessarium & immediatum
quiddam consequens peccatum, quod peccato sublato
tollatur, quin, per quod peccatû ipsum formaliter tol-
latur. II. noterur, quod quando duo dantur, quæ reali-
ter sunt eadem, adeoque à se invicem inseparabilia ;
contingat autem tertium aliquod insuper accedere,
quod uno eorum sublato, necessario tollatur tunc ter-
tium quoque illud, altero realiter convenientium sub-
lato.

lato. Res clarebit allato aliquo exemplo : Quantitas, & æqualitas vel inæqualitas, realiter conveniunt. Idem enim quod quantum est, per quantitatem est etiam æquale vel inæquale, & æqualitas vel inæqualitas est formaliter relatio, prodiens ex quantitate tanquam ex suo fundamento. Insuper, per quantitatem fit aliquid divisibile, & divisibilitas ut conceptus objectivus secundarius, fluit ex quantitate tanquam conceptu suo primo, facitq; quantitas subjectum suum divisibile, propterea quia habet partes extra partes, & sublata quantitate, tollitur etiam divisibilitas. Unde hoc manifestum quoque est, quod divisibilitas, sublata æqualitate & inæqualitate, pariter tollatur. Hisce ita suppositis, licebit argumentari hunc in modum :

Quicquid uno realiter convenientium sublato necessario tollitur, id quoque altero realiter convenientium sublato necessario tollitur.

A. Reatus sublato moraliter peccato & culpâ, ipse necessario tollitur, ut demonstravimus.

Ergo Reatus sublato moraliter peccato & culpâ, necessario quoque tollitur.

§. XVII. Porro argumentamur : Si CHRISTI meritum est satisfactorium pro culpa & reatu pœnæ tam temporalis quam æternæ, utiq; per eundem fidei actum, per quem satisfit pro peccato, culpâ & reatu pœnæ æternæ, satisfit etiam pro reatu pœnæ temporalis. Verum autem est prius, ergo & posterius. Minor probatur ex Scripturâ dictis I. Pet. II. 24. ubi Christus dicitur *peccata nostra tulisse super ligno.* & Esai. LIII. *Dolores nostros tulisse,* & Galat. III. 13. à maledictione legis nos liberasse dicitur, ex quibus apertissimis scripturâ dictis tale surgit argumentum : Si Christus tulit peccata nostra super

per ligno, si nostros tulit dolores, & à maledictione legis nos liberavit, utique meritum ejus est satisfactorium pro omni reatu, adeoque & poenae temporalis: quis enim inficiabitur, quod Propheta sub doloribus illis fuerit complexus etiam dolores, quibus ceu poenâ temporali eramus afficiendi? an forte temporarii in hac vita cruciatus, nullos accelerant dolores? deniq; quis est adeò bardus, & rerum sacrarum ignarus, qui non intelligat, legem, quando maledicit, temporarias quoque minitari poenas? vide Deuteron. XXIIII. à v. 15. ad finem. Esai. I. 20. Et quid desudo in conquirendis scripturae dictis? omnes sanè poenarum temporaliũ comminationes ad maledictionem legis agmine quasi factò licet advocare, neque hili alicujus est usitatum illud.

Pontificiorum delirium: Satisfactionem Christi & nostram non esse opponendam, cum nostra opera, & passiones nostra, vim satisfaciendi & merendi à Christi satisfactione accipiant. Nam S. S. putidum illud figmentum plane ignorat; Ignorat, inquam, fictitium hunc, nostra opera concaussas constituentem meriti Christi usum & fructum. Minore ita stabili â, transibimus ad majorem ejusque vim & robur contemplabimur. Vis autem in eo consistit: quod, si Christi meritum sit satisfactorium pro culpa & omni reatu, fides etiam per idem illud pro iisdem sit suo modo satisfactoria. Consequentia probatur, quia fides totum Christi meritum secundum omnem suum valorem uno & eodem amplectitur actu, id quod ex fiducia, quæ primaria fidei pars est, conceptu formali facile deducemus. Scilicet fiducia est actus voluntatis, quem acquiescentiam fortè diceres, circa bonum præsens & nostrum, relatum ad

a liud

aliud, idque arduum & difficile bonum, per illud ac-
quirendum, quodque ad illud aut causæ aut adjumenti
rationem habet. Fiduciæ autem objectum est totum
meritum Christi, secundum omnem suum valorem, ex
quibus propterea argumentamur: Quocunque actu
apprehenditur meritum CHRISTI, ut bonum præsens
& nostrum, habensque rationem causæ ad aliquod ardu-
um & difficile obtinendum, (quale hic est, remissio
peccatorum) illo actu apprehenditur meritum Christi
secundum omnem suum valorem. Ratio consequen-
tiæ est, quia meritum Christi secundum omnem suum
valorem est causa abolendorum peccatorum. Sed
uno actu voluntatis, qui fiducia dicitur, apprehenditur
meritum Christi, ut bonum præsens & nostrum &c.
Ergo si fides, ut unus actus voluntatis, apprehendit to-
tum meritum Christi, utique unus ille actus voluntatis
satisfactorius est pro omni omnis poenæ reatu, & quan-
docunq; tollitur culpa & reatus poenæ æternæ, tollitur
etiam reatus poenæ temporalis.

§. XIX. Tertiò argumentamur: Quicquid ju-
stissimum DEum injusti iæ accusat, illud omnino est
absurdum. Reatum remanere sublatâ culpâ, injusti-
tiæ accusat justissimum DEum. Ergo Minor proba-
tur. Quicunque statuitur punire id, quod nulla poena
dignum est, is injusti iæ accusatur: DEus quando di-
missa culpa poenam infligeret, statuitur punire id,
quod poenâ dignum non est. Minor prosyllogismi
iterum probatur: Quicunque statuitur punire id, quod
non est illegale, is statuitur punire id, quod non est poe-
nâ dignum, nihil enim poenâ dignum est, nisi quod est
illegale. At, quando DEus statuitur infligere poenas

condonatâ culpâ, statuitur punire id, quod non est illegale &c. Ergò.

§. XIX. Quartò. Absurditatem Pontificii hujus commentii detegunt quoque sequentia emphatica S. S. dicta. *DEus peccatorum amplius non recordatur* Ezech. XIII. 22. delet instar nubis Es. XLIV. 22. Transgressionem nō imputat Rom. IV. 8. Tam longè peccata à nobis removet, quam est Oriens ab occidente Ps. CIII. 12. Totum debitum condonat Matth. XVIII. 32. Irâ DEI non amplius manet super peccatoribus Joh. 3. 18. demergit in profundum maris. Mich. VII. 19. Quomodo enim conciliabunt Paterculi Tridentini suas nugas cum hisce S. S. dictis? nonne absurdum est, DEUM immittere pœnas propriè sic dictas propter patrata peccata, & tamen eorum non recordari? nunquid homini totum debitum dixeris esse condonatum, quando nihilominus obligatur ad pœnas temporales, sæpè acerbissimas, quin, juxta Pontificios, infernalibus, dempta tantùm æternitate pares, cogitur luere? an forte reatus pœnæ temporalis sub toto debito non continetur? En portenta absurditatum!

§. XX. Quintò. Omnis pœna proficisciur à DEO irato & offenso, omnis enim pœna est vindicativa delicti, proficiscens ex severâ Dei justitiâ, repetens id, quod per peccati actum ipsi erat subtractum. *Omnis pœna, si propriè sumatur, est, per quam compensatur & reficitur æqualitas justitiæ per peccatum violatæ,* scribit Pererius in Gen. c. 9. n. 136. Sed absurdum est, istos, quibus culpa & pœna æterna remissa est, DEUM habere iratum & offensum, nam quibus culpa est remissa, illi reconciliati sunt Deo per mortem Filii ejus Rom. V. 10.

§. XXI.

§. XXI. Sextò. Antiquitatis melioris suffragio nostram quoque sententiam esse stipatam, prolixè & operosè posset demonstrari. Verum charta omnia Veteris Ecclesiæ Doctorum testimonia non caperet, pauca igitur tantum ex divite penu placet depromere. August. lib. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 34. *Calamitates, inquit, ante remissionem sunt supplicia peccatorum, post remissionem sunt certamina exercitationesq; justorum.* Homil. de temp. 41. *Communicando nobiscum sine culpa pœnam, & culpam solvit & pœnam.* Chrysof. Homil. de Pœnit. & Confess. *DEus imponit pœnam, non exigens supplicia de peccatis, sed ad futura corrigens.* Homil. 44. in Gen. *Vnum tantum requiro, ut confiteatur peccata, & ab iis desistat, nec ultra infero pœnam peccatis.* Pertinent quoque huc omnia sacræ antiquitatis eloquia, adversitates temporales alium ob finem, quam ut per eas peccata expiantur, à DEO immittas esse docentia, quale est Augustini illud tract. 124. in Joh. *etiam remissis peccatis tolerat homo miseriam, in quam tamen ex peccato venit, vel ad demonstrationem debitæ miseriam, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem pœnitentiæ necessaria.* Et Chrysof. Homil. 28. in 1. ad Cor. *Cum corripi-mur à Domino, magis est admonitionis quam damnationis, medicina quam supplicii, correctionis quam pœnæ.* Plura coacervare, cum pauca hæc sufficere possint, non placet.

§. XXII. Jam demum ordo poscit, ut Pontificiorum quoque argumenta, quibus hunc suum errorem palliant, aggrediamur, videntes, quo fūco ista cœlesti opponant veritati. Becanus *remitti aliquando peccatum mortale & reatum pœnæ aeternæ, ita tamen, ut DEus velit hominem, cui remissio facta est, punire aliqua pœnæ*

pœna temporali, non solum in cautelam, sed etiam in vindictam peccati præteriti, 1. Simili aliquo vel probare, vel saltem illustrare velle videtur. Rex, inquit, aliquando condonat reo offensam & pœnam capitis quam meritus, & tamen, ne omnino videatur neglecta justitia publica, vult illum per aliquod tempus exilio vel carcere punire. Verum enim verò, simile hoc fallit, rex enim, qui læsus est, aut remittit peccatum suo subdito, aut non remittit. Si remitti, minimè infliget pœnam propriè & strictè sic dictam, quæ ex justitia ejus vindicante procedat, nam peccatum & culpam remittere nihil aliud est, quam pœnam remittere, peccatum enim non nisi moraliter, i.e. per debitum subeundi pœnam mansit. Physicè enim spectatum, dudum transit. Ita enim tantùm denominat aliquem peccare in præsentis, peccasse in præterito. Quod si autem peccatum moraliter non nisi per Reatum manet, absurdum est dicere: regem suo subdito peccatum dimisisse, pœnam nihilominus irrogasse. Et quæso quis maleficorum, qui peccato se constrinxit, reconciliatum sibi arbitretur regem; & commissum crimen condonatum, qui aliquam propter peccatum pœnam adhuc sustinendam sibi esse audiat? Quare concludendum est, moraliter à peccato absolvi, nihil aliud esse, quam à poena immunem declarari. Contingit tamen, dicat aliquis, subditum capitali poenâ sublatâ, conjici in carcerem, & cogi subire poenam ordinariâ mitiorem. Verum respondeo, carcerem & aliam aliquam poenam, aut non esse poenam propriè dictam, quam rex læsus exigat, ut suæ satisfiat justitiæ, adeoque tantum imponi in cautelam, in emendationem, aliisque in exemplum; aut si poena propriè dicta est, totum peccatum & culpam ipsi nondum esse

esse remissam, Ordinariam autem poenam, forte propter praecedens merum, ante actam vitam, aut alterius autoritate pollentis intercessionem, mitigari, quod ipsum adversarii ad praesens negotium trahere non audent, quippe cum supponant, eos, quos DEUS temporali coercet poena, culpa omnijam tum liberatos. Reberat autem adhuc aliquis: quemadmodum rex lege decretam poenam capitalem, in mitiorem convertit & minus saevam, sic quoque DEUM temporarias poenas commutare cum aeternis inferni cruciatibus. Verum tacet hac de re scriptura, multi quoque Pontificiorum non admittunt, quin iterum supponunt adversarii, condonati peccati reatum aeternarum poenarum, converti in reatum temporalium; absurdum autem esse, peccata remitti remanente ullo reatu, in praecedentibus evictum est. Et tantum de simili, quo Becano suum absurdum dogma aut probare placuit, aut illustrare.

§. XXIII. Concilium Tridentinum Sess. XIV. c. 8. de satisfactione, *culpam aliquando à Domino remitti, ut universa poena non condonetur, ratione suadere satagit, cum, inquit: Divinae justitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero, qui semel à peccati & Daemonis servitute liberati, & accepto S. S. dono, scientes, templum DEI violare & Spiritum S. contristare non formidarunt.* Scilicet malunt rationibus speciosis ludere, quam Scripturâ uti, quod si autem argumentum aliquod ex hisce talibus necesse deberet, tale forte nasceretur: peccata gravitate diversa diversimodè sunt remittenda. Peccatum ante baptismum per ignorantiam delinquentis, & peccatum templum DEI post Ba-

D

ptismum

ptismū ciente violantis, sunt peccata gravitate diversissima, ergò diversimodè quoqueremittenda. Jam autem per ignorantiam exorbitantib⁹, condonatur reatus cum æternæ tum temporalis pœnæ, ergò ex proæresi peccantibus, remitti tantum debet reatus pœnæ æternæ, non verò temporalis. Verum, si majoris robur sibi debeat constare, quid impedit, quo minus pro varietate peccatorum post baptismum etiam commissorum, varios excogitemus modos, quibus remittantur? quid prohibet, quo minus pro varietate peccatorum, varios fingamus mediatores? quis eos docuit, extrà Scripturam de peccatorum abolitione philosophari? Scriptura unum tantum agnoscit modum, quo tam originale, quàm actuale, tam ante, quàm post baptismum commissa peccata aboleantur, Christum scilicet, qui dedit se pretium redemptionis pro omnibus tam ante quam post baptismum peccantibus I. Tim. II. 4. II. Cor. V. 14, Sed justitiæ divinæ, inquiunt, ratio aliud judicium & alium processum videtur exigere. Quid audio? num Paterculi isti exploratiorem habent DEI justitiam, quam Spiritus DEI, qui est in DEO, I. Cor. II. 10. 11.

§. XXIV. Divinam porrò clementiam decere arguunt, ne ita nobis absq̃ ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione acceptâ, peccata leviora putantes, velut injurii & contumeliosi Spiritui S. in graviora labamur. Verum nonne hoc est divinæ clementiæ modum præscribere, eamq̃ ad suum nimis audax cerebrum velle informare? Spiritus S. melius novit coercere baptizatos, atque eos à studio peccandi retrahere. Fulmina in eos, qui peccatis dediti sunt, fatis horrenda detorquet, qualia habentur Rom. II. 4. *O homo contemnis divitias*

*vitiis bonitatis illius ac tolerantia lenitatisq̄, ignorans ;
quod bonitas Dei ad penitentiam te invitat, sed juxta du-
ritiam tuam & cor penitere nescium, colligis tibi ipsi iram
in die ira, quo patefiet justum judicium Dei, Heb. X. 24. Si
volentes peccaverimus post acceptam cognitionem verita-
tis, non ultra pro peccatis reliqua est hostia, sed formidabilis
quædam expectatio judicii, & ignis vehementia, qui de-
voraturus est adversarios. Quantis suppliciis afficietur,
qui spiritum gratia contumelia affecit. Novimus enim
eum, qui dixit, meum est ulcisci ego rependam. Horren-
dum est, incidere in manus Dei viventis. Roman. VIII. 13.
Si secundum carnem vixerimus, futurum est ut moriamur.
Hic processus, & hæc ratio arcendi à peccato baptiza-
tos, sapientiæ divinæ placuit, cui meritò acquiescere
debeant curiosi mortales.*

§. XXV. Ad Scripturam quoque audent con-
fugere, & ex ea multa accersere, quæ ipsa tamen ad rem
ipforum minime quadrant. Pauca ex iis delibabimus
quæ monstrabunt, quomodo reliqua omnia possint di-
lui. E Cap. VI. ad Rom. ult. ubi *mors stipendium peccati*
vocatur, extorquent, remanere post sublatum æternæ
pœnæ reatum, necessitatem subeundi temporariam
pœnam, *omnes enim moriuntur* Sir. VIII. 8. XIV. 18. ergò
etiam fideles, qui æternum beantur, & culpa sunt solu-
ti, tenentur mortem, pœnam utiq̄; non nisi tempora-
lem, subire. Verum miror, non pudere eos hoc se ac-
cingere gladio, quo tamen seipsos jugulant, & testatum
reddunt, quàm suimet quandoque soleant oblivisci.
Conantur ostendere, reatum pœnarum temporalium
dimissa culpâ & pœna æterna post baptismum commif-
sa peccata consequentem manere, & adducunt pœ-
nam, quæ aliis, statim post susceptum baptismum abs-

que actuali peccato hinc emigrantibus, communis est, quamque in iis, qui voluntario peccato se nondum inquinaverunt, poenæ propriè sic dictæ rationem habere ipsi inficiantur. Rectius sanè de morte fidelium, maximus quondam latinorum Patrum Augustinus sentiebat l. XIII. de civitate Dei c. 4. *Per ineffabilem Dei misericordiam & ipsa poena vitiorum transi in arma virtutis & fit justis meritum etiam supplicium peccatoris, tunc enim mors est acquisita peccando, nunc impletur justitia moriendo, non quia mors bonum aliquod facta est, quæ antea malum fuit, sed tantam Deus fidei præstitit gratiam, ut mors, quam vita constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transfiretur in vitam.*

§. XXVI. Exempla quoque Becanus producit eorum, quos Culpa & Reatu æternarum poenarum liberatos, temporales ex vindicante DEI justitia irrogatas dependisse arbitrat Num. XX. 12, Deuteron. XXXII. 48. II. Reg. XII. 13. II. Reg. XXIV. 10. Frustrà omnia. Nam ne per vim quidem ex istis poterit extorquere, poenas istas fuisse propriè dictas poenas, & ex severâ DEI justitiâ, non vero benignâ providentiâ immixtas. Satius est, posterius amplecti membrum, & providæ reconciliati DEI curæ castigationes illas esse asserere, quibus illa nihil aliud quærat, quam ut in cordibus fidelium augetur vera fides, humilitas, patientia, odium & detestatio peccati, & veteris hominis fiat mortificatio &c.

§. XXVII. Unicum autem adhuc restat peni ius trutinandum. Gloriantur hic Pontificii de antiquitatis consensu, quare etiam magno numero accumulunt Patrum, de rigidissima veterum Ecclesiasticâ disciplinâ loquentium, testimonia. Et sane sine stupore non legentis,

geris, rigorem Ecclesie veteris in injungendis operibus poenitentialibus servatum. Concil. Ancyran. junioribus poenitentiam viginti quinque annorum, adultioribus triginta, senioribus per totam vitam imposuit. *Christianis in scelera prolapsis* juxta Casaubon. ex. 16. ad Ann. Bar. n. 43. *annosa & communiter duodecennis poenitentia fuit subeunda. Nam in loco stentium tres annos, in acroasi vel loco audientium alios tres, in hypoptosi vel in loco succumbentium tertium triennium; & in systasi denique vel loco stantium ultimum aut triennium aut biennium stabant, donec ad metexin hoc est ad participationem eucharistiae pervenirent, ut proinde plerique poenitentes vix duodecimo anno ad communionem iterum sint admisi.* Basil. Magnus. *Est per quatuor annos fornicatori praefinita poenitentia, nam primo anno ab introitu templi prohibetur, & ad fores Ecclesie peccatum suum deflet, secundo ad auditionem admittitur, tertio ad succumbendum post ambonem, quarto ad consistendum cum populo fidei & quinto demum anno ad Eucharistiae communionem admittitur.* Eandem etiam in rem Theod. in epit. divin. decret. *Sunt medicabilia vulnera, inquit, etiam post baptismum, sed non ut ante baptismum per solam fidem data remissione, sed per multas lacrymas, per copiosum fletum, per crebra jejunia, ita ut poenitentia peccato contemperetur.*

§. XXIIIX. Hæc poenalia opera Pontificii lapsis poenitentibus in veteri Ecclesia i lege injuncta fuisse fabulantur, ut satisfacerent pro reatu poenarum temporalium, quem in finem quoque allegant aliqua dicta Patrum, poenitentialia ista opera satisfactiones salutantium, quale est illud Cypiani l. 3. ep. 14. *Poenitentes operibus suis Deo satisfaciunt ad misericordiam, & Origenis homil.*

homil. 15. in Levit. opera illa pretium, quo peccata redimuntur. Et sanè non diffitemur, quosdam Patres nimis magnificè locutos de poenitentia illa veterum Christianorum. Constat autem & illud, *satisfactionis* vocem eos nonnunquam nimis improprie usurpasse.

§. XXIX. Coeterum quem in finem vetus Ecclesia adeò rigidam, assumpserit disciplinam, docere nos potest August. in enchirid. c. 65. *Quia, inquit, communiter alterius dolor nobis est occultus, nec in notitiam procedit nisi per externa signa, rectè Præsides Ecclesiarum tempora poenitentiae constituunt, ut & Ecclesia satisfiat, in qua fit remissio peccati. Nam extra Ecclesiam peccata non remittuntur.* Alios sanè summus Doctor operibus poenitentialibus adsignat fines, quam Pontificiis facere solenne est. Duos præprimis memorat: Unum
1. ut per externa signa internus dolor, animorum cruciatus & contritio innotesceret, ne forte pertinaces in poenitentia perseverantes, duri cervice & cauteriatam habentes conscientiam, in communionem reciperentur: Alterum, ut Ecclesiae, cui notorius aliquis peccator scandalum dederat, quamque suo enormi delicto offenderat, satisficeret. Ex quibus patet, canonicam veterum poenitentiam, non ut DEO pro peccato, sed Ecclesiae satisfieret, esse assumptam. Qua occasione nota, peccatorem varia solere sortiri fora. Sortitur enim divinum, Ecclesiasticum & civile, omnia peculiaribus suis juribus distincta, & alias atque alias satisfactiones poscentia, adeò ut reus, quando satisfacit in uno, non tamen satisfaciat in altero. Sic in foro divino summo iudici satisficit pro fornicatione, per fidem in corde contrito Christi meritum amplexam. In Ecclesiastico per poenitentiam quatuor annorum, ut antea audivimus ex Basilio Magno. In civili Romano de-

muna

inū satisfit, ut lex Julia habet per publicationem partis di-
midia bonorū vel per corporis coercionem cū relegatione.

§. XXX. De eādē veterum poenitentiā Hiet.
in 17. cap. Matth. *Alia, inquit, est ratio de criminum pœni-
tentia & satisfactione, de qua Ecclesia, quando lesionem
accipit & offensa est, publicè suum iudicium interponit, iu-
dicens satisfactionem publicam, & graviolem, ut innotes-
cat omnibus vere pœnitere qui prompto animo suscipiat,
quicquid Ecclesia decreverit. Eodem quoque collineat
IVO. ep. 228. Judex, scribens, qui tantum videt in facie,
meritò peccantes tamdiu sub pœnitentia detinet, donec
per manifestos pœnitentiæ fructus, quis sit pœnitentis ani-
mus satis agnoscat. Per internos gemitus interno iudicij
satisfit, is igitur sine mora peccatum remittit, quia animū
pœnitentis habet exploratum, sed Ecclesia, quia occulta
cordium ignorat, non solvit ligatum, nisi diuturna satisfa-
ctione commendatum. Ex hisce satis superq; elucescit,
quem in finem satisfactiones canonica in Ecclesiam
fuerint invec̄tae; non scilicet ut per eas DEO satisfieret.
Nam per internos gemitus interno iudicij satisfit ut IVO
ait, sed ut explorarentur poenitentium animi, an simu-
ta an vero seria esset poenitentia.*

§. XXXI. Potuerūt aliæ quoq; intercedere causæ, que
religiosos Ecclesiæ veteris Antistites induxerint, ut ad
admirationem usq; magnas lapsis Christianis injunxe-
rint satisfactiones. Forte ut monerentur poenitentes,
quantū criminis sit, publico scelere DEUM & Ecclesiam
offendere; item ut in posterum à peccandi studio avoca-
rentur, occasionesq; peccandi evitare docerentur, quin
& alios stantes, in gratiâ & communionem annosis
suis satisfactionibus contine-

rent.

S. D. G.

COROLLARIA.

- I. Peccatum præcisè inducit Reatum, quia legi divinitus nobis datæ est adversum.
- II. Neque tamen omnis actus, utut à lege & rectitudinis moralis regula discrepet, reatum inducit.
- III. Fides est quidem nostra, sed non ex nobis.
- IV. Non quælibet fides justificat.
- V. Fides justificans formaliter est aggregatum ex distinctis entitatibus.
- VI. Justitia, de qua Paulus primis ad Romanos capitibus differit, non est formaliter in homine.
- VII. Justificatio, quæ est actus DEI circa hominem, non mutat eum intrinsecè.
- VIII. Justificatio tamen non est sine justitia, quam qualitatem infusam Scholastici vocant.
- IX. Eo ipso momento, quo quis facit peccatum, ut Johannes loquitur, excidit quoque justitia Christi imputata.



99 A 6986

ULB Halle 3
002 826 542



R

Sh

VJ 17

Rehov





B.I.G.

Farbkarte #13



30.

IO THEOLOGICA

De

ATORUM ETREATV

Quam

O. M. A.

RÆSIDE

VIRO

*do, Amplissimo & Excellen-
tissimo*

GIARDO TITIO,

H. D. ET P.P.

ublicè tuebitur

Diem 20. Junii,

CUS HARDING,

edsheimensis

AUTOR.

MAESTADII,

COBI MÜLLERI,

MO CIO ICG LXIII.

